

Joachim Heinrich Sibrand

Programma In Festo Nativitatis Christi

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1719?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003995373>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1719. Weihn.

~~M-1256. 100.~~

W. 1719.

PROGRAMMA
IN FESTO
NATIVITATIS
CHRISTI



QVO
RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIANÆ

JOACHIM. HENRICVS

Sibrand/

V. J. D. & Prof. Publ. h. t. Facultatis
Jurid. Decanus ac Senior,
*Comparationem illius cum festo
Schechinae*

CIVIBVS ACADEMICIS
pie meditantam, ex officii ratione
sedulo commendat.

Rostochii Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC.
& UNIV. Typogr.

M. 1256 160



Lluxerunt, quæ Di-
uina est Gratia, Ci-
ues, denuo sacratis-
simæ, eæq; Natali-
tiæ Domini Seruato-
ris nostri Feriæ, qua-
rum dignam vocatione vestra ce-
lebrationem publice commenda-
re, & ad sanctè habendum hocce
Festum, adhortationum vobis sub-
dere stimulos, mearum nōstis esse
partium. Festorum diuinitus in-
stitutorum hūc collimare finem, vt
gratam Beneficiorum diuinorum
recolamus memoriam, vno ore
Vetus æq; ac nouum clamant Te-
stamenta. Testamenti Veteris tria
palmaria fuisse festa, sacræ lo-
quuntur Pandectæ: Paschatos,
Pentecostes, & Tabernaculo-
rum * Priorum in locum festa
apud

* Exod. XXIII. v. 14.

apud nos synonyma successisse,
neminem vestrum fugit; Tertio,
nempe Tabernaculorum, Festo re-
spondere, quas jam agimus, Feri-
as Christi natalitias, non infimi
subselli placuit eruditis * Ex-
tra controuersiae aleam res posita
esset, si de tempore Natiuitatis
Christi liquido constaret; Ast,
quæ torserunt eruditos, vexa-
runtque hactenus lites, de mense
& die (taceo annum) Christi na-
tali, gordii instar nodi solui non-
dum potuerunt, quolibet mense,
non sine obstetricante Patrono,
gloriam nati Seruatoris ambitiose
sibi asserente, ** vt merito in in-

(2

ge-

* Conf. Janus Bircherodius in Disquisit. Anti-
quariis Hafniæ. 1688. it. B. D. Jo. Bened.
Carpzovius in Programmate edito Lipsiæ
1698.

** vid. B. D. Jo. Frid. Mayerus in Diatriba Gry-

genuâ subtilissimi Scaligeri * confessione acquiescamus: diem veram Natalem Christi ignorari. Haud tamen à probabilitatis tramite prorsus aberrare videtur Celeberrimus Lightfootus ** Christum in mente Tisri, siue Septembri, quo Tabernaculorum, celebrabatur festum, esse natum contendens. Quæ sententia, vt non contemnendis fulcitur rationibus, ita tamen Celeberrimis Spanhemio *** & Wagenfeilio **** vapulat. Non equidem doctissimam Lightfooti conjecturam hancce meam facere sustineo; si tamen
ver

phisw. A. 1701. edita, de eo, quod quilibet anni mensis gloriam nati Servatoris ambitiose sibi asserat.

* De Emendat. Temporum. VI. p. 545.

** Hor. Hebr. ad Matth. II. l.

*** Dubiorum Evang. P. 20. Dub. 12. §. 6. seqq.

**** Not. 3. ad Mischn. Sota c. 9. sect. 12.

veri quicquam subesset, jubare
 meridiano clarius pateret, Festum
 Tabernaculorū cum nostro Chri-
 sti natalitio conspirare harmonice.
 Quodsi vero vel maxime tempo-
 ris parallelismum in suspenso re-
 linquamus; Ipsa tamen horum
 Festorum conuenientia haud leui-
 oribus nititur fulcris. Nomen
 sortiebatur hoc festum à Taberna-
 culis $\text{—} \text{כֹּס}$ vel כֹּס * cui hebraicæ
 voci, Græca, σκηνή natalia debet.
 Non eo tantum fine, ut Patres suos
 in deserto peregrinantes, in Taber-
 naculis habitasse, in memoriam si-
 bi reuocarent Judæi; sed præci-
 puè quoque recordarentur Sche-
 chinæ illius sacerrimæ, nubem
 indigito, ignisque columnam, quæ
 Hodogetæ instar viam in terram
 bene-

* Juxta hypothefin B. Casp. Neumannii cognatæ
 hæ sunt radices, כֹּס & כֹּס .

benedictionis & promissionis ducentem ipsis monstra-
 uerat fideliter. * Beneficii hujus recordationem Judæis
 suggerebat Festum Tabernaculorum; Præfens vero Na-
 talitium nobis typi hujus Schechinæ antiypum, Christi
 scilicet incarnationem, ob oculos ponit. Digitum huc
 intendit clarissimè ἐνθὺς ὁ ille Johannes** Verbum, in-
 quit caro factum est, & ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν
 δόξαν αὐτοῦ. Erat enim Schechina V. T. nubes quædam
 obscurior, ignem quendam lucidissimum & peculiari
 coruscantem fulgore intra se abscondens, radiosq; exin
 fulgidissimos vibrans, singularis præsentia filii DEI pi-
 gnus, signumque certissimum.*** Ignem hunc nube te-
 ctum vbi clariori apparuerit jubare, gloriam Dei mani-
 festatam vocari, ex Sacrae Scripturae æq; , ac Judæorum
 aliorumq; testimoniis prolixè probat Lundius**** En
 tibi luculentissimum incarnationis Christi typum! Hu-
 manam enim Naturam æterni sacerrimiq; ignis, Divi-
 nae nempe Filii Dei naturæ habitaculum, Paulus diser-
 te vocat**** Gloria hæc ἡ μονογενὴς ἀλόγως πατρὸς ignobili-
 ori & obscuriori natura humana licet obnubilata, & ve-
 lamine τῆς μορφῆς ἡ δέλεα tecta, non tamen impedieba-
 tur, quo minus radios omnium oculis obuios spargeret
 diuinos, vt Apostolorum nomine testari queat Johannes:
 ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ. Duas igitur in Christo naturas
 intimè, habitantis instar & habitaculi, vnitas, non con-
 fusas & commixtas, typus hicce nobis repræsentat;
 Quam

* vid. Lundii Jüdische Heiligthümer L. I. c. 14.
 p. 66. seqq. edit. 1701. ibique allegatos Auctores.
 ** Evang. c. 1, 14.
 *** vid. Buxtorff. in Hist. Arc. Fœd. Lundius
 l. c. C. 10. p. 36. seqq.
 **** l. c. vid. Exod. XVI, 7, 10. **** Col. II, 9.

Quam in rem apprimè Chrylloftomus * *Vi intelligat, ut id unum scriptum esse; Verbum caro factum est, ne apparentem speciem suspiceris; audi, ut in sequentibus orationem suam repurgat, ac pravam illam suspensionem euerit. Quid enim subiicit? & habitauit in nobis. Tanquam sic te alloqueretur: Vnde ne quid prauè suspiceris ex illa voce; factum est, non enim mutationem immutabilis illius nature significauit; sed habitationem & commorationem. Porro id, quod habitat, non idem est cum eo quod habitatur, sed diuersum. Cæterum alterum dixi substantia; quippe vnitione & copulatione unum est, DEVS Verbum & caro, ita ut non confusio vel extinctio vlla naturarum acciderit; sed inexplicabilis quadam & omnem dicendi facultatem superans vnio. Quid igitur obstat, quominus Festum hoc Christi Natalitium nomine è V. T. mutuò accepto, appellemus Festum Schechinæ, Tabernaculi mirandi, non rimandi, sed venerandi, adorandi. Plura essent, quæ ad euincendam Festorum horum Veteris Nouique Testamentorum conuenientiam in censum venirent; Afferrem huc aquam vino mixtam, quæ hoc Festo Deo offerri consueuerat, sub quo typo si pariter duarum in Christo naturarum vnitionem adumbrari; assererem, non a scopo abluerem, cum etiam in hoc mysterio mixtionis vox in sano sensu orthodoxis Patribus fuerit adhibita. Adducerem solennem in Festo hoc acclamationem ex Psal. CXVIII, 25, 26. desumptam, qua Messiam in carnem aduenturum gratulabundi quasi excipiebant; Memorarem tripudium illud gaudii plenissimum, huic festo proprium, ut in Prouerbum abierit: Nullo vero gaudio delibatum esse, qui nocturnam illam hujus festi lætitiã non viderit, quippe quod in lætissima Christi Natalia ex asse quadrat; ** Verum enim*

Homil. II. in Joh. p. 198.

** De quibus omnibus conferri potest Lundius l.c. l.V. c. 24. seqq.

enimvero vela sunt contrahenda, ne primario, quem hic intendo, sine excidam; Is est, Ciues Optimi, vt ad hæcce Beneficia, quæ Clementissimus Deus in Natiuitate Christi adeo largâ in nos cumulauit manu, ruminanda, celebranda, inceruffata amplectenda fide, & puro seruanda corde, Vos inuitem, impellam, instigem. Nostis, mysterium hoc Natiuitatis Christi, quâ DEus manifestatus est in carne, emphaticè à Paulo vocari: *Mysterium Pietatis* * quod pio animi affectu recipiendum, pia mentis deuotione meditandum, piis gratiarum actionibus & laudibus prosequendum, pia deniq; vita in praxin deducendum esse, quem Vestrum latet? Ne igitur sacratissimum hoc Festum Mysterii pietatis, impietate, impuritate, gulæ ventrique obediens deditique transigatis, iterum iterumque, quâ polleo. Auctoritate, à vobis contendo. Illuxit enim Gratia illa salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus nuncio misso, temperanter, iustè & piè viuamus. Quæ cum ad cunctos spectent Christianos, & hoc tempore nemine non expendenda sint sedulo; Vobis tamen Ciues Optimi, quo magis ætatis & occasionis illecebræ vos ab officio vestro auocare possunt, hæc eò diligentius sunt cogitanda, quid? quod iteratis adhortationibus inculcanda. Absit, ut his diebus quisquam Vestrum fræna intemperantiæ laxet, gulæ aut libidini se mancipet, aut aliis se conspurcet impuritatibus. Hoc maxime, Ciues, in hac Festi solennitate curæ Vobis sit cordiq;, vt piis factis, & sincera cordis integritate, Deo gratus acceptusque reddatur Cultus.

* II. Tim. III, 16.

P. P. sub Sigillo Rectorali Academico Fer. I. Natiuitatis Christi. Anno clō lo cc xlx.

Quam in rem apprimè Chrylloftomus * *Vi in
ob id unum scriptum esse: Verbum caro factum est, ne ap-
tem speciem suspiceris; audi, ut in sequentibus oratione
am repurgat, ac pravam illam suspensionem euertit. Quod
subiicit? & habitauit in nobis. Tanquam sic te alloqua-
r. Ideo ne quid prauis suspiceris ex illa voce? factum est
enim mutationem immutabilis illius nature significauit; & s-
bitationem & commemorationem. Porro id, quod habitauit
idem est cum eo quod habitatur, sed diuersum. Cæternu-
rum dixi substantia; quippe vnitione & copulatione un-
DEVS Verbum & caro, ita ut non confusio vel extinctio v-
naturarum acciderit; sed inexplicabilis quadam & omni-
ocendi facultatem superans vnio. Quid igitur obsta-
minus Festum hoc Christi Natalitium nomine è
mutuo accepto, appellemus Festum Schechinæ, T-
naculi mirandi, non rimandi, sed venerandi, ad
Plura essent, quæ ad euincendam Festorum horu-
teris Nouique Testamentorum conuenientiam in-
sum venirent; Afferrem huc aquam vino mixtam
hoc Festo Deo offerri consueuerat, sub quo typo
ter duarum in Christo naturarum vnitionem adu-
ri; assererem, non a scopo abluerem, cum eti-
hoc mysterio mixtionis vox in sano sensu ortho-
Patribus fuerit adhibita. Adducerem solennem
sto hoc acclamationem ex Psal. CXVIII, 25, 26. d-
tam, qua Messiam in carnem aduenturum gratula-
quasi excipiebant; Memorarem tripudium illud g-
plenissimum, huic festo proprium, vt in Prouer-
abierit: Nullo vero gaudio delibatum esse, qui non
nam illam huius festi læticiam non viderit, quippe
in lætissima Christi Natalia ex asse quadrat; ** V*

Homil. II. in Joh. p. 198.

** De quibus omnibus conferri potest Lundius
c. 24. seqq.

